

atque avertendum curaret. Alteras insuper addidit, quibus
foedera cum Venetis, atque aliis Italiae Principibus quibuscumque
sibi conditionibus videretur ineundi facultas permittebatur.

His perlectis, ad societatem cum Pontifice ineundam Patres
hortatur. *Summis votis expetendam occasionem oblatam esse,*
qua & in tuenda Ecclesia, Pontificiaque auctoritate, cujus
semper majorum exemplis incitati studiosissimi fuissent, nun-
quam intermorum laudem consequerentur; atque eodem
tempore imperii propagandi egregiam facultatem arriperent.
Quis enim ambigeret, pontificiis, ac Venetis conjunctis viri-
bis; Henrico insita Gallorum Regibus virtute ac pietate ac-
cedente; quin omnia prospera eventura sint? ac facile Italia
Hispanos pelli, atque huic nobilissimae provinciae, quae gravi
superbiae, atque avarae gentis dominatu premitur, pristinum de-
cus restitui posse? Inspicerent Neapolitanos illis parere; Insu-
bribus dominari; Florentinis compedes injectos; Parmae, ac
Placentiae urbes, Octavio Farnesio ad partes pertracto, sui ju-
ris factas; Senenses libertate exutos: modo religionis caput
petere, oppida Ecclesiae occupasse, nuper Ostiam urbi Romae
haerentem cepisse: ni tot incrementis, atque inexplebili domi-
nandi potentiae obsisteretur, brevi ad reliquos quoque eam con-
tagem pervasuram. Ecclesiasticas ditiones diripi, turbari, ca-
pi non posse, quin eodem velut actu res Venetae afficeren-
tur: unum id, Pontificem, ac Venetos, firmissimum veluti
aggerem sibi objectum obsistere; si Pontificem offenderint, si
bello lacescitum in summas angustias redegerint, quaeve juris
sui sunt occupaverint, quis dubitet eos sibi gradum ad Rem-
publicam oppugnandam facturos? Cuncta itaque ad foedus
solicitare, atque impellere; summam sibi illius percutiendi a
Paulo auctoritatem delatam: animum tantummodo ad societa-
tem ineundam adjicerent, non vereri, ne facillime res ad exi-
tum perducatur: non verbis agendum proposuisse; habere quas
Reipublicae diu exoptatas Flaminiae civitates, Cerviam nempe,
ac Ravennam tradat: eas statim, Pontifice ita jubente, con-
cessurum, donec Apuliae portus, atque Abduana glareas in Rei-
publicae potestatem concedant. Ac ne quis exactam Pontificis octo-
gesimum primum annum attingentis, etatem objiciat, tot ex Senatus
voluntate in Cardinalium Collegium cooptaturum, quot ad alium

Caroli Ca-
raffa Car-
din. oratio
ad Venetos
habita.